

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Amor an  
cum fonte primo

Per amorem Dei amor proximi gignitur,  
et per amorem proximi amor Dei nutritur.  
Nam qui amare proximum negligit,  
profecto Deum diligere nescit,  
et tunc plenius in Dei dilectione proficimus,  
si in eius dilectionis gremio  
prius proximi caritate lactamur.

Amor Dei amorem proximi generat,

et

amorem proximi calefacit amor Dei.

Gregorius in quadam omelia super euangelium.

Quia autem duo sunt praecepta caritatis,  
Dei uidelicet amor et proximi,  
per amorem Dei amor proximi gignitur,  
et per amorem proximi Dei amor nutritur.  
Nam qui amare Deum negligit,  
profecto diligere proximum nescit;  
et tunc plenius in Dei dilectione proficimus,  
si in eiusdem dilectionis gremio  
prius proximi caritate lactamur.

Quia enim

amor Dei amorem proximi generat,  
dicturus per legem Dominus:

*Diliges proximum tuum,* praemisit dicens:

*Diliges Dominum Deum tuum,*

ut scilicet in terra pectoris nostri prius amoris sui  
radicem figeret, quatenus per ramos postmodum  
dilectio fraterna germinaret.

Et

rursum quia

amor Dei ex proximi amore coalescit,  
testatur Ioannes qui increpat dicens:

*Qui non diligit fratrem suum quem uidet,*

*Deum quem non uidet, quomodo potest diligere?*

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 7.24 (CCSL  
143, M. Adriaen ed., pp.352-3, ll.5-18).